

designabant per signum cancri, quod per ejus janua homines intromitti in orbem putabant, veluti per eandem regressuros, Pier. lib. LI. hierogl. A tumulo igitur eximus, et per viam aliquantulam mundum quasi comitamur, mox eo dimisso, illic regredimur, unde egressi sumus, ad tumulum scilicet. Quid igitur mundi delicias affectamus? Interrogemus nos multoties, sicut angelus Agar, Gen. XVI. *Agar, unde venis et quo vadis?* Agar, peregrina exponitur, et hominem significat. Unde venis, homo? A tumulo? Quo vadis? Ad tumulum.

IV. Propter fidem resurrectionis. Ita D. Tho. in IV. dist. XLV. q. II. art. II. ad III. q. qui ait: *Sepultura spiritualiter prodest vivis, in quantum per hos astruitur resurrectionis fides.* Ideo crux ponitur supra sepulcrum, ut sciamus mortuos iterum resurrecturos, cum crux in caelo apparebit. Deinde, sicut semina in terram projecta germinant et surgunt in flores et plantas, ita germinabunt corpora nostra projecta in sepulcrum. Unde apostolus, I. Cor. XV. inquit: *Seminatur corpus in ignobilitate, surgit in gloria.* Projicitur semen in aërem, aquam ignem, non germinat: projicitur in terram et germinat. Ut ergo sciamus corpora nostra aliquando revictura et proditura cum immortalitate, committuntur terræ, non aëri, igni aut aquæ. Unde cœmeterium recte appellamus *agrum Dei*, quia ibi aliquando messem suam habebit Christus: licet in eodem multa zizania sint futura. Ad hæc pretiosas vestes, quas resumere aliquando et reinduere volumus, loco honesto et mundo asservamus. Corpora nostra resumere speramus: mundo igitur et tuto loco ponimus. Propterea non quovis loco ut hæretici, profano scilicet, sed sacro ea condimus et benedicto, quem etiam signo crucis quasi sera vel sigillo quodam obsignamus: thure item et aqua lustrali contra dæmonum infestationes et sæculares profanationes, sicuti solent fieri ad lectum, cruceque consignare. At hæretici, quia hanc benedictionem aspernantur, parvam vel nullam habere resurrectionis spem non injuria putantur. Testatur enim Simon Pauli Prædicans Lutheranus, homil. in evang. hodiernum esse Lutheranos, quibus perinde sit sive sepeliantur in cœmeterio, sive in laniena, in loco, ubi excoriantur jumentorum cadavera. Hinc bonus quidam senex in Palatinatu Werdam Bavaricam, ultra Ratisbonam ad Danubiam, morti adeoque Lutherano cœmeterio jam proximus, in hanc lamentabilem vocem erupit: Proh dolor! quod post mortem meam, ad agrum raparum proficisci, et raparum custos fieri cogar, refert P. Gretserus, de funere christiano, l. II. c. X.

V. Propter meritum viventium, quo mortuos sepeliunt. Laudatur ob hoc officium Tobias, c. II. et XII. et commendatur Deo ab angelo Judas Macchabæus, II. Macch. XII. quod interfectos in prælio hostes sepeliri jusserit: viri Jabes Galaad a Davide, quod sepelierint Saulem et Jonatham, I. Reg. XXXI. et II. Reg. II. discipuli Joannis Matth. XI. Nicodemus et Josephus, Matth. XXVII. illi Joannis, hi Christi tumulatores: Alphonsus Aragonum rex, qui repertum in littore maris Christiani Genuensis corpus, id mox tumulare cum suis jovit, Panorm. l. I. de rebus gest. Alphonsi. Contra Jason quod multos homines insepultos abjecisset, ipse quoque mortuus insepultus abjecitur, II. Macchab. V. irrisores item sepelientium S. Constantium martyrem Perusinum episcopum, cæcitate puniuntur, apud Surium, die 29. januarii. His tamen non obstantibus jure meritoque excludit aliquos Ecclesia a sepultura sacra et pio sepulture officio. Primo, qui sub censura excommunicationis, vel interdicti, inabsoluti decesserunt, Clem. I. de sepult. Et sepelientes sunt ipso facto excommunicati, ut ibid. Narrat in vividario SS. Matthæus Raderus ex menæis Græcorum, monachum etsi martyrem, quia tamen contra superioris interdictum ab obedientia se subtraxerat olim, cum in ecclesia diaconus clamaret: *Catechumeni egrediantur: catechumeni procedant:* omnibus spectantibus tumba sublata e templo in atrium egressum, rediisseque finita missa. Idque tamdiu quousque a superiore suo ab anathemate solutus erat. Idem in annot. ejus loci narrat de S. Gotthardo Hildesheimensi episcopo, quod cum is contumaces quosdam anathemate ictos templo excedere jussisset, ii tamen immoti persisterent, tum ecce, dudum sepultos aliquos, qui sub anathemate adhuc erant, de tumulis surrexisse, et in confusionem ac contumaciam templo excessisse, donec eosdem impertita absoluteione episcopus acciret ad tumulos suos ingredientes. Narrat item Maffæus, Indic. hist. l. V. militis mortui et in mare projecti corpus miros excitasse tumultus et terrores, et in terram delatum sepultumque postridie inhumatum inventum. Itaque divinatum eum sub excommunicatione decessisse: quare impertita ei absoluteione, mox deinde in tumulo quietus permansit. Secundo, negatur usurariis manifestis, ni poeniteant et faciant cautionem de restitutione, Clem. I. de sep. c. *Quamquam*, de usur. l. VI. item raptoribus, ni satisfaciunt cum possunt, c. II. de rapt. De usurario in ecclesia sepulto narrat. Greg. in dial. quod cum sepulturam data pecunia obtinisset, a custode ecclesie noctu visus sit per dæmones lamentabundus foras trahi. Tertio, iis, qui sibi ipsis necem

voluntarie inferunt XIII. q. II. quib. XXIII. q. V. placuit. Similiter iis qui se manifestis vitæ periculis temere ingerunt, ut torneatores, c. I. de torneam. et qui in maleficio, velut adulterio aut latrocinio interfectus perit. Quarto, monachis proprietariis, ut in c. *Super quodam*, ib. Exemplum recitat sui temporis S. Greg. I. IV. moral. c. LV. de fratre sui monasterii, quia tres aureos occulte habuit, jussu in sterquilino sepeliri cum aureis suis, dicentibus fratribus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Quinto, blasphemis, c. II. de maledic. Idem Greg. V. dialog. de femina religiosa narrat, quomodo detractationis vitium et stultiloquium, noctu a dæmonibus (vidente custode) e sepulcro sit extracta et cingulo tenus divisa, parte superiori cremata, inferiore relicta. Sexto, hæreticis et de hæresi post mortem convictis, c. *Si episcopus*, de hæret. Nam ut S. Leo inquit, ep. XCII. c. VI. *Quibus viventibus non communicavimus, eis mortuis quoque communicare non possumus.* Multo magis Judæis et paganis, de consecr. d. I. c. *Ecclesiam*, etc. seq. Idem de eo qui semel in anno saltem non confessus est, nec communicavit, si id sit notorium, c. *Omnis utriusque* de poenit. et remiss. Similiter omnis peccator notorius impœnitens decedens, c. *Quibus*, c. *Non extimemus*, c. *Pro obeuntibus*, c. *Cum gravia*, III. q. II. Exemplum in dial. Greg. de Valentino Mediol. Ecclesie defensore, qui ob vitam lubricam impœnitens mortuus in ecclesia sepultus videntibus custodibus noctu a duobus terribis spiritibus cum clamore extractus et extra ecclesiam in alieno sepulcro abjectus fuit, manequè ibi inventus.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Ecce defunctus efferebatur. — II. Filius unicus matris suæ, cur hic mortuus. — III. Et turba civitatis multa cum illa. Pompa funebris prodest vivis. — IV. Cum vidisset eam, misericordia motus est. — V. Dixit: Noli flere. — VI. Accessit et tetigit loculum. — VII. Ait: Adolescens tibi dico: Surge. Quare non rogatus excitat hunc mortuum? — VIII. Resedit qui erat mortuus et cepit loqui. — IX. Dedit illum matri suæ. — X. Accepit omnes timor, etc.

## THEMA.

*Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim.* Luc. XVII.

Magnus ille athleta David, congressurus cum Goliatho ad certamen singulare, ut fidem faceret Sauli, sibi sat superque virium esse, quibus hos-

tem illum vincere ac per suum quidem posset, enarrare cœpit velitationes suas cum ursis et leonibus, quos sibi occurrentes et gregem invadentes sæpius et facile, *quasi per ludum*, ut ait Eccles. XLVII. vicerit ac prostraverit, I. Reg. XVII. Typus Christi Domini fuit in hoc David. Venit in hunc mundum, et: *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli*, I. Joan. III. quæ aliud non sunt quam peccata, a diabolo injecta. Hæc, hæc erant magnus et terribilis ille Goliath, prævaricationem et servitatem nostram perpetuo nobis exprobrans, nullis hominum viribus superandus; solus Davidis filius vincere eum potuit. Cæterum ut Judæis persuaderet satis sibi virium esse ad superandum hostem illum, demonstravit eis aliquas quasi velitationes suas quibus ursum et leonem nullo prorsus labore, *quasi per ludum* vicit. Leonem dico mortem, quæ robusti leonis instar omnibus dominatur hominibus, omnes ad terram prosternit: ursum dico diabolum, qui ad instar ursi in prostratos sævit, poenis inferorum. Plures ursi tales occurrerunt Christo, et rapuerunt oves ejus, in obsessis nimirum hominibus, sed tenuit atque ejecit eos Dominus prædamque seorsum eripuit. Occurrit illi et leo, sæviens inquam mors, uti in hoc evangelio, ubi juvenem corripuit: necnon alibi, ubi Lazarum et filiam archisynagogi: tenuit eum Dominus et prædam ei eripuit, mortemque morte affecit. Quorsum vero inquit singularia hæc certamina, nisi ut demonstraret populo suo, se a Deo missum ad debellandum aliquando publico duello peccatum: *Et chirographum peccati, quod erat contrarium nobis*, cruci affigendum ac delendum? Non viderunt hoc cæci et insani Judæi: videmus nos Christiani. Porro nunc spectemus miram ejus victoriam quam tulit de triumphata morte adolescentis.

I. *Ecce defunctus efferebatur.* Ad litteram, quia Judæis vetitum erat intra urbes vel castra defunctos sepelire, quod locus sepulture immunus censeretur quemadmodum et cadavera, quorum contactu polluebantur. Mystice insinuat unumquemque hominum quotidie ad sepulcrum efferi a quatuor humoribus, tamquam acerbis portibus; siquidem ab iis sensim abroditur vita nostra. Unde D. Hieronymus, ep. III. ad Heliod. ait: *Quotidie morimur, quotidie commutatur et æternos nos esse credimus.* Mirum certe hoc est; sed illud magis mirandum, quod tam multi homines, dum ad sepulcrum efferuntur peccare interim audeant, id quod mirabatur etiam angelus cum Esdra loquens, (lib. IV. Esdr. cap. VIII. non quidem canonico, magna tamen auctoritate prædico.) Ait enim: *Spre-*

runt Altissimum et leges ejus, contempserunt et vias ejus dereliquerunt, adhuc autem et justos ejus conculcaverunt dicentes in corde suo, non esse Deum; et quidem scientes quoniam moriuntur. Quod quis furtum committat, cum adhuc liber est et licetorem aut carnificem non videt, nihil mirum. At si ligatus quis ad suspendium educatur et in ipso itinere totum se ad furandum convertat, id omnem admirationem superat. At igitur angelus, non mirandum quod peccent homines sed quod id faciant scientes, quia moriuntur, et ad mortem pergunt.

II. *Filius unicus matris suæ.* Videtur illum mors corripuisse primo, ob indulgentiorem educationem. Solent enim matres unicos præsertim filios blandius educare, et nihil non illis concedere, unde sæpe contingit, ut vires eorum enervent, et valetudinem affligant, vel etiam in pœnam nimie indulgentiæ filiis orbentur. Exemplo est Absalon, qui cum nimium poneret studium in alendis, producendis, crispandis et ornandis capillis, nec propterea a parentibus vel corrigeretur, vel tonderi juberetur, in pœnam hujus insolentiæ suspensus est in quercu propriis capillis, in quibus tantam ambitionem quæsierat. Quod omnino factum non esset, si parentes eum a puero ita instituissent, ut sæpius in anno tonderet capillum suum, nec talem in eo vanitatem sectaretur. Patris ergo indulgentia suspendit Absalonem, cujus mors parenti acerrimum infixit aculeum, creavitque dolorem.

Secundo, in cautelam adolescentum, qui cum longe se a morte abesse arbitrentur, hinc licentius vivunt, et vitiis indulgent. Multi adolescentes similes sibi videntur statum illi Nabuchodonosoris, habent enim aureum caput, artibus et disciplinis excultum: habent pectus et brachia argentea, opus et divitias: habent ventrem et femora ærea, bonam valetudinem et victus parcimoniam: habent tibias ferreas, robur juvenilis ætatis, sed interim non advertunt se habere pedes luteos, fragilissimam scilicet vitæ basin, quatuor humorum crasin ac temperiem auram mutabiliorem, qua sublata morbi ac mors sunt præ foribus, totamque statuam subruunt. Venit igitur lapis abscissus sine manibus, et percussit statuam in pedibus, sicque tota machina corruit, Dan. II. Quid vero lapis ille nisi mors inopinata? Nisi clanculum irrepens, ut nemo facile divinare possit qua via sit ingressa? Videbis juvenem insignem, eruditum, opulentum, sanum, sobrium, robustum, cui, nihil prorsus desit ad vitam diu et prospere ducendam: et cum is minime cogitabat, audis eum mortuum. Quis hanc stragem fecit? Lapis sine manibus abs-

cissus: nemo causam assignare potest, et tamen mortuus est.

III. *Et turba civitatis multa cum illa (vidua).* Causam tanti comitatus exponit Euthym. in c. VII. Luc. Condolebant, inquit, illi, ut quæ non modo virum perdiderat, sed nunc quoque filium et hunc unigenitum. Accedit altera causa, pietas Judæorum et singulare studium sepeliendi mortuos. Placent Deo, inquit, Alph. Salmer. hoc loc. qui conducunt funera ad sepulturam, cujus rei gratia magnam laudem Tobias in vetere testamento est consecutus: in novo vero Nicodemus et Joseph ab Arimathæa. *Ægyptii etiam permulti comitati sunt Joseph deducentem ossa patris in terram Chanaan. Qui etiam sepelierunt Stephanum, et fecerunt planctum magnum super eum, viri timorati dicuntur.* Act. VIII.

Porro etsi pompa illa funebris (si preces et sacrificia demas) nihil prodest defunctis, prodest tamen vivis. Primo enim, luctum eorum temperat, qui funus ex officio curarunt, mæstisque solatium affert. Unde S. Augustin. de verbis apostoli, I. Thes. IV. ait: *Pompæ funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum.* Secundo, est quasi speculum omnium mundi vanitatum, quæ omnes cum defuncto quasi sepeliuntur, et in terram retruduntur. Ostendit vitam hanc esse quasi comœdiam vel tragœdiam, in qua ubi quisque suam egit personam sive regis, sive agricolæ, sive pontificis, sive clericis, tum finita comœdia suas quisque vestes resumit, et domum, unde venit, in suo habitu discedit. Hanc ob causam Ecclesiastes, cap. VII. dixit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit.* Loquitur autem de funebri luctu et exequiis, ut tradit ibi D. Hieron. et Olympiodorus. Tertio, est publica fidei non solum christianæ, sed etiam catholicæ protestatio contra infideles et hæreticos. Infideles non admittunt animæ immortalitatem et futuram resurrectionem: hæretici non admittunt suffragia pro defunctis, nec Ecclesiæ cæremonias: nos utraque profitemur, cum exequias peragimur. Quarto, est opus pium ac meritorium vitæ æternæ, si fiat a Christiano in statu gratiæ existente. Ita S. August. loco supra citato testatur: *Sit pro viribus, inquit, cura sepeliendi et sepulcra construendi, quia et hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt.* Quinto, est stimulus viventibus ad sectandam virtutem ac pietatem, ob quam potissimum defunctis pompa funebris instituitur.

IV. *Cum vidisset viduam, misericordia motus*

est super eam. Primo, ob multiplicem matris miseriam. Erat enim defunctus, non filia, sed filius, qui solet esse charior: erat deinde unicus: erat filius matris, quæ tenerius quam pater solet amare filium: erat filius viduæ: erat adolescens jamjam usui et solatio futurus matri. Igitur: « Quidquid oculis matris dulce pretiosumque suberat, solus unicus efferebat, stirps videbatur generis, ramus culus successione, baculus senectutis, » inquit Gregor. Nyssenus, I. de hom. opificio.

Secundo, quia hanc viduæ afflictionem oculis suis vidit. Multum autem facit ad excitandam misericordiam, videre coram miserorum calamitatem, uti clarum est. Quam multi enim largiuntur eleemosynam miseris ulcera sua monstrantibus, lacrymas fundentibus, famem vultu suo præ se ferentibus, qui absentibus alioquin nihil unquam largirentur? Hinc toties ss. litteræ monent, ne avertamus oculos a pauperibus, Tob. IV. Ec. IV. et XII. Errant proinde magistratus, qui inhihent pauperibus ne ostiatim stipem colligant, et suas miserias querantur. Licet enim per alios eleemosynam illis colligant; non tamen sufficienter consulunt pauperibus. Unde Didacus Stella Hispanus, vir doctus et religiosus, in hunc locum graviter aliquando hæc in re erratum fuisse, ait in Hispaniis, cum per duos nobiles collecta est pauperibus eleemosyna, stipis interim collectio prohibita.

Tertio, quia etiam turba viduæ illius miserta fuit, quomodo ergo non misertus fuisset fons misericordiæ? Unde Græce habetur: *Ex visceribus misertus est illi.*

Porro ea misericordia fuit triplex: cordis, quia misericordia motus: oris, qui eam consolatus dixit: *Noli flere*: operis, quia dedit ei filium redivivum. Non ergo oportet solum videre pauperum miserias, sed et misereri ac consolari, denique facto ipso succurrere. Christus quando eumque calamitosum aliquem vidit, semper ope sua sublevavit. Vidit in deserto turbam esurientem, et pavit; vidit cæcum a nativitate, et sanavit; vidit discipulos in remigando laborantes, et servavit. Idem imitetur dives Christianus.

V. *Dixit: Noli flere.* Non quasi malum et illicitum sit mortuos deflere, sed primo, quia defunctus filius jamjam in vitam revocandus erat: *Prohibetur, inquit D. Ambros. hic, cum cui resurrectio debebatur fleret.* Secundo, ut doceret mortem amicorum non immoderate deplorandam, ob resurrectionis spem, si putantur in gratia decessisse. Accedit alia ratio, quia Deus repetit, quod suum est. Sicut ergo jure conqueri aut constriari non potes, cum quis a te repetit rem

tibi commodatam: sic etiam fas non est, conqueri aut lamentari valde, cum repetit Deus amicum tuum. Denique, nemo sanus ingemiscit, quod videat amicum suum iterfacientem ea via, qua ipse nolens volens iturus est: cur ergo indigne feras mori amicum, cum et ipse sis moriturus? Sic David se consolatus est super morte filii sui: *Numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum: ille autem non revertetur ad me, II. Reg. XII.*

VI. *Accessit et tetigit loculum.* Primo, ad litteram ex D. Bonaventura ut sisterent portitores. Secundo, ex D. Ambrosio, ut ostenderet suo contactu lignum crucis sanctificandum esse, ut inde nobis vita redderetur, et salus prodiret. Tertio, ex Tito Bostrensi: « Quia voluit, et hinc disceremus corpus Christi, Dei nostri corpus vitæ esse, ejusdemque carnem unigeniti Filii Dei Verbi que cuncti potentis carnem. Nam cum caro ejus illi effecta sit propria, qui vivificat omnia, fit, ut ipso quoque sit vivifica: mortemque et corruptionem interimere idonea. » Id Euthymius declarat hic ista similitudine: « Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquando tempore permansit, habet ignis operationem, ita quoque sancta ipsius caro divinitati unita, quæ divinitatis sunt operabatur. » Quarto, ut doceret eos, qui concitato cursu ad mortem et infernum feruntur, manu Dei seu plaga aliqua tangendos ac puniendos esse, quo peccare desinant ac respiscant. Tunc Deus aliquem tangere dicitur, cum labore aut plaga premit; unde est illud Job. IX. *Manus Domini tetigit me.* Estque hoc magnum Dei beneficium, tametsi corporali alicui damno conjunctum, velut si quis te ruentem in puteum apprehendat et pedem quidem frangat, ab interitu tamen servet. Cum ergo petulantem juveni morbum Deus immittit: cum leviculæ puellæ decorem vultus demittit, loculos eorum tangit, ut peccatorum cursum sistant.

VII. *Adolescens, tibi dico: Surge.* Excitavit hunc adolescentem Dominus, non accersitus nec rogatus, primo, propter præcedens miraculum sanati pueri centurionis; quia enim potuissent aliqui malevoli dicere, non moriturum fuisse illum puerum, adeoque nihil aut parum opis a Christo accepisse, idcirco mox obviam it defuncto, eumque ad vitam revocat, ut inde colligatur, quid in puero centurionis effecerit. Si enim uno verbo defunctum excitavit nonne credendum est, quod uno et jam verbo ægotantem persanarit? Ita Gregor. Nyssenus, de hom. opif. cap. XXV. Secundo, quia vidit Dominus bonam illam viduam magna desolatione occupatam, indeque perturbatam non potuisse

cogitare de petenda filii salute; idcirco ejus affectum et lacrymas aspexit, quæ vim orationis habent et potentem quidem. Audiamus D. Laurentium Justinianum de ligno vitæ, cap. IX. *O lacryma humilis, inquit, tua est potentia, tuum regnum. Non est, qui te ad Deum accedere vetet: si sola intres, vacua non redibis. Quid plura, vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis celum, fugas diabolum.* Scimus etiam Magdalenam solis lacrymis suis salutem a Christo impetrasse, et non minus exauditam esse, quam si verbis peccata confessa fuisset. Tertio, quia viduarum peculiaris protector et consolator est, ita ut etiam non orantes audiat, desiderio illarum contentus, juxta id Ps. X. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Ita enim III. Reg. XVII. sollicitus de pascenda vidua Sarephthana (quæ extrema fame laborabat) Dominus, mittit ei Eliam non tam ut Eliam per viduam quam ut viduam per Eliam pasceret, licet ipsa tale beneficium non petierit a Deo, et forte ne cogitavit quidem. Sic etiam in hodierno evangelio vidit Christus a longe planctum viduæ, et occurrit illi sat longo itinere, a Capharna in Naim, ut lacrymas ejus abstergeret, tametsi bona illa vidua de adventu Christi nullam cogitationem haberet.

VIII. *Resedit, qui erat mortuus, et cepit loqui.* Mira Christi potentia. Imprimis: *Vocat quæ non sunt tamquam ea quæ sunt,* ut ait apostolus, ad Rom. IV. vivificat mortuos, ut ibidem explicat apostolus, et evocat in terram mortuum, qui jam non erat. Sic in prima mundi creatione vocavit cælum, terram, et quæcumque in iis sunt: *Stellæ vocatæ sunt, et dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate,* Baruch. III. quæ sane omnia prius non erant. Fuit ergo hoc tam potens Christi imperium, divinitatis ejus argumentum.

Deinde, nullo labore, solo jussu vitam mortuo reddidit. Non sic Elias et Elisæus, quorum ille expandit se, ac mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, III. Reg. XVII. hic item oravit ad Dominum, et incubuit super puerum, IV. Reg. IV. Nec mirum; illi homines, hic Deus: illi servi erant, hic Dominus. Dei est imperare morti, non hominis. Jam vero si abyssi parent voci Dei, cur homines non parent Deo: et ea quæ sunt, parere nolunt. Mortui audiunt vocem ejus, et non audiunt vivi. Qui non habent aures, non audiunt. Quoties, o adolescens perditæ, tibi acclamat Christus: *Adolescens tibi dico: Surge,* a morte animæ, peccato? Clamat per concionatores, per libros pios,

per confessarios, per inspirationes bonas, per conscientie stimulum, per exempla, per castigationes: et tu solus obsurdescis, quasi aures non haberes. Imperat Christus mari, et tranquillatur, Marc. VI. imperat febrî, et recedit, Luc. IV. imperat morti, et reddit Lazarum, Joan. XI. et hic adolescentem: imperat dæmonibus, et discedunt ab hominibus, Luc. IV. tibi imperat, et obsistis.

IX. *Dedit illum matri suæ.* Magnam tribulationem magna sequitur consolatio, filium extinctum filius redivivus. Majus absque dubio fuit gaudium matris de filio redivivo quam prius erat de vivente. Poterat quidem Dominus imperare matri, ut sibi velut Servatori filium relinqueret: poterat mandare filio, ut relicta matre sibi adhereret; a quo vitam accepisset: sed noluit Dominus imminuere gaudium matris: reddidit illi filium suum, quia omni spe et solatio orbata, fuerat, cum filium perdiderat. Solet igitur Deus: *Post tempestatem tranquillum facere, et post lacrymationem et fletum exultationem infundere,* ut ait Tobias, cap. III. et Job, c. XVII. *Post tenebras, spero lucem,* inquit. Experta est S. Monica, quæ post diurnas lacrymas pro filii Augustini, conversione fusas, tandem vidit eum non solum catholicum, sed et contempta felicitate terrena servum Dei ac religiosum: experta est Jerosolyma jam christiana, quæ cum a Ramiso duce exercitus Cosrhoani, anno Domini 614. vastata et spoliata esset, recreavit eam Deus per Joannem eleemosynarium archiepiscopum Alexandrinum, qui misit ei Chrysippum, virum bonum cum multo auro et frumento, alimentis et indumentis, additis etiam jumentis, quæ deherent ea Jerosolymam; misit quoque episcopos qui redimerent abductos in captivitatem, ut in vita S. Joannis eleemosynarii.

X. *Accepit omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitabit plebem suam. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo in omnem circa regionem.* Triplex hic effectus miraculi hujus describitur. Timor populi, laus Dei, rumor in regionem sparsus. Timor in populo ortus fuit ex reverentia divinæ præsentie; quia enim cognoverant, si non Christi ipsius divinitatem, saltem manum et virtutem divinam cum ipso operantem, inde præpotenti Deo submittere se ceperunt cum timore et stupore. Ortum etiam puto ex metu potentie Christi. Cogitabant enim (ni fallor) si tam facile potest Christus mortuos vivificare, multo facilius poterit, si velit, vivos enecare, omniaque sursum deorsum vertere. Magnifica illa laude profitebantur Christum esse

magnum quemdam prophetam, qui Messiam præcessurus sit, vel ipsum Messiam, qui propheta nomine eis promissus fuit, Deut. XVIII. Rumor ille sparsus fuit, non per Galilæam modo, verum etiam per Judæam, et adjacentes regiones; quia miraculum publico loco coram plurimis peractum.

Mystice hic defunctus significat peccatorem. Etenim: *Mors animæ fit, cum eam deserit Deus: sicut corporis, cum id deserit anima,* ait D. Augustinus, l. III. de civ. I. et Cyrill. Alexandr. orat. de exitu animæ: « Mors proprie est, non quæ animam dirimit a corpore sed quæ animam a Deo separat, Deus vita est, a quo, qui disjungitur, perit.» Deus gradus sunt, quibus corpus effertur in sepulcrum. Primo, destruitur corporis temperies seu complexio, deinde, infirmatur homo, tum moritur, post effertur, postea sepelitur, denique sepulchrali lapide clauditur. Ita anima per cogitationem pravam a quiete mentis dimovetur, per delectationem infirmatur; per

consensum moritur, per consuetudinem peccandi effertur, per contemptum sepelitur, per obdurationem prægravi desperationis lapide opprimitur.

Rursum locus extinctæ animæ est corpus: quatuor portitores sunt amor peccati, timor pœnitentiæ, spes longioris vitæ, præsumptio de Dei misericordia. Sepulcrum est stulta securitas conscientie, quæ velut gravi mole opprimit hominem, ne videat, in quo discrimine sit. Porro ut ad vitam suam revocetur anima, accedere ad eam Christus per gratiam prævenientem debet et tangere ac movere eam ad pœnitentiam. Residet anima, cum per peccati detestationem erigit se ad Deum ad faciendam ejus voluntatem: incipit loqui, cum peccata confitetur: surgit omnino, cum per opera satisfactionis, et vitæ emendationis ambulat in Dei lege: datur matris suæ, cum Ecclesie restituitur, ejusque curæ et sollicitudini commendatur.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

DOCUMENTA QUEDAM EX HODIERNO EVANGELIO.

- I. Juvenes moriuntur æque ac senes. — II. Filii quandoque moriuntur ante parentes. — III. Amici plerique viventium, non morientium. — IV. Juvenes fere ad interitum, nisi frænentur, tendunt. — V. Mundus expellit et negligit defunctos. — VI. Defuncti non plangendi immoderate.

### THEMA.

*Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.*  
Luc. VII.

Historiam hodierni evangelii videtur mihi in spiritu prævidisse Salomon, quando ita scripsit, Proverbiorum VIII. versu 1. et sequenti: *Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis excelis quæ verticibus supra viam in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur dicens: O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum: Intelligite parvuli astutiam et insipientes animadvertite. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta prædicem, etc.* Ubi vero legimus sapientiam Dei, quæ est Filius ejus, Dominus noster, prædicasse in media semita juxta portas civitatis, in ipsis foribus, nisi in hodierno evan-

gelio? Ibi enim cum defuncto obviavit eumque a morte suscitavit, ad portam civitatis Naim prædicavit, pauca quidem verbo, multa verò facto: quæ hic inquiremus.

I. Ecce tibi juvenes moriuntur æque ac senes, quia: *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* Videtur hoc quod ait Lucas, etiam dixisse Christus suis discipulis et turbæ sequenti: Ecce juvenis unus defunctus effertur, si non verbo, certe facto, quia ex composito rem ita deposuit, ut huic funeri obviaret. At igitur: Ecce vobis juvenem defunctum. Sed quid hic novi nuntiat? Scimus enim juvenes etiam morti esse obnoxios: scimus certe, sed hoc quod omnes scimus, juvenes non recogitant, nec sibi contingere posse expendunt. Nullus enim ipsorum se in juventute moriturum existimat, omnes sibi longam et quasi termino carentem metam præfigunt. Porro non unam ob causam expellit sæpe Deus juvenes ex hac vita. Primo, quando videt eos pestes futuros reipublicæ. Areopagitæ damnarunt aliquando puerum, quod cornicum oculis crudeliter confixisset; inde enim colligebatur futurum eum aliquando crudelem et immanem, teste Quintiliano, l. V. c. IX. Idem sæpe Deus facit, uti legimus Psal. LVII. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* Iam absorbit Anastasium imp. Eutychianum, dum